



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

18. Inhonoratio fratris multum est cauenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

*Eccl. 3.*  
*Ibid.*

cæteris prælati, qui loco Dei sunt: & patres sunt spirituales. Dedecus filij, pater sine honore. Qui timet Dominum, honorat parentes. Exhibitio huius honoris valet ad prolongationem vitæ, & corporalis & spiritualis. Corporalis, quâ tum ad

*Exod. 20.*  
*Eccl. 3.*

parentes carnales: spiritualis quantum ad spirituales. Honora patrem tuum & matrem tuam: ut sis longæuus super terram. Qui honorat patrem suum vita viuet longiore. Pater cœlestis vitam eorum conseruat: qui patri à quo vitæ principium habuerunt non sunt ingrati. Valet etiam exhibitio huius honoris ad hoc, ut exhibentes hunc honorem, à suis filiis honorentur.

*Eccl. 4.*

Qui honorat patrem suum iocundabitur in filiis. Honorandi sunt præ cæteris sacerdotes: maxime pabulum cœleste ministrantes. Honorifica sacerdotes. Qui bene præsumt presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in scientia & doctrina.

*Eccl. 7.*  
*1. Tim. 5.*

*Quod fratris inhonoratio multum sit cauenda.*

#### CAPVT XVIII.

*Ioan. 8.*

**M**ultum cauenda est inhonoratio fratris. Primò, quia multum offenditur cum inhonoratur. Vnde Saluator, qui patientissimus erat, de hoc videtur conqueri, dicens: Et vos inhonorastis me. Secundò, quia in fratre inhonoratur Deus, ad cuius imaginem factus est: & cuius inhabitator est. Inhonoratur etiam angelus: qui ad eius custodiam deputatus est. *Matth. 18.* Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

SECVN-